

EXAMEN CENSURÆ

forem hunc in ipso Censuræ limine, tam turpiter lapsum esse, ut *Cantherius in porta* dici mereatur.

A D C E N S V R A M

CAPITIS I.

De S. Scripturæ autoritate, perfectione, & perspicuitate.

P*rimam Censuram* orditur Cenfor à felle & à suspicione: Fel in præfatione est, quod animum Cenforis etiam huius valde exulceratum arguit. Nos illud respuemus, ut fordidi ulceris excrementum. Suspicio, Censuræ basis est. Quid mirum? Ea facit in toto Censuræ corpore proram & puppim. Tolle suspensionem, jacebit Censura

Veluti ingens littore truncus.

Quod, ut piis omnibus totiq; orbi Christiano liquidò constare possit, (*verba sunt Cenforis*) singulas Censuræ sectiones κατὰ πόδας persequemur, & quàm monstrosis hariolationibus, vanis conjecturis, & inanibus suspicionibus, refertæ sint, demonstrabimus. Tu Lector, adhibe animum & iudicium procul omni gratia & odio, nec à quibus, sed quid dicatur, adverte.

Initium Declarationis Remonstrantium hoc est: *Quisquis Deum ritè colere, & æternam salutem certo atq; indubie consequi vult, ante omnia ei necessum est ut, credat Deum esse, &c. Hæc Remonstr: assertio, inquit Cenfor, etsi verbis Apostoli sit adornata, quibus ad fidei descriptionem utitur Hebr. 11. 6. mens tamen ipsorum nobis suspecta est, quòd verba Apostoli, præter scopum ipsius, duplici Socinianorum glossemate interpretari (NB) **V I D E N T U R.** Prius est, quòd phrasin, Accedentem ad Deum, quâ Apostolus utitur, exponant cum Smalcio, per Deum colere. Alterum est quòd quærere Deum, exponant cum eodem Smalcio, per pie vivere, & ad regulam bonorum operum à Deo præscriptam se & vitam suam componere. Unde deinde concludit, suspensionem justam esse quòd Remonstr: Sociniani asserpulentur, ut qui fidem non tantum per fiduciam, verum etiam per operum obedientiam definiunt.*

Quàm